Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ibus ita ut mirarent preses uehement. Qui autem solleptnem consuerat preses dimittere plebi vnum vinctum quem
voluissent. Habebat autem tunc uinctum insignem: qui dicebatur barrabas. Congregatis ergo illis: dixit pylatus. Quem uultis dimittam uobis: Barrabam an ihesum
qui dicitur xpm. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali: misit ad eum uxor
eius dicens. Nichil tibi et iusto illo. Multa enim passa sum hodie per eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut petierent barrabam ihesum uero perderent. Respondens autem preses: ait illis. Quem uultis
uobis de duobus dimitti: At illi dixerunt barrabam. Dicit illis pylatus. Quid igitur faciam de ihesu: qui dicitur xpo: Dicunt omnes. Crucifigatur. Ait illis preses. Quid enim mali fecit. At illi magis clamabant dicentes. Crucifigatur. Videns autem pylatus quia nichil proficit. Sed magis tumultus fiebat: accepta aqua lauit manus coram
populo dicens. Innocens ego sum: a sanguine iusti huius:
uos uidetis. Et respondens omnis populus dixit. Sanguis eius super nos et super filios nostros. Tunc dimisit illi
barabam: ihesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigerentur. Tunc milites presidis suscipientes ihesum in
pretorio: congregauerunt ad eum omnem cohortem.
Et exuentes eum: clamidem coccineam circumdederunt
ei: et plectentes coronam de spinis posuerunt super
capitis eius et harundinem in dexteram eius: et genu
flexo ante eum illudebant dicentes. Aue rex iudeorum.
Et exspuentes in eum: acceperunt harundinem et percutiebant capud eius. Et postquam illuserunt ei exuerunt